

DISSERTAT. IN AVG. MEDICO - CHIRVRGICA

D E

V S V F O R C I P I S
IN ARTE OBSTETRICIA

Q V A M

RECTORE ACADEMIAE MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO

C A R O L O A V G V S T O

D V C E SAXONIAE IVLIACI CLIVIAE MONTIVM
ANGARIAE ET GUESTPHALIAE LANDGRAVIO
THVRINGIAE ETC.

CONSENSV GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS
P R A E S I D E

D. CHRIST. GOTHFrido GRVNERO

SERENISS. DVC. SAXO - COBURGENS. ET SALFELDENS. A
CONSIL. AVLAE SANCTIORIBVS ET ARCHIATRO SERENISS.
DVC. SAXO - VINAR. ET ISENAC. A CONSIL. AVL. BOT.
ET THEORET. PROF. PVBL. ORDINAR. FACVLT. MED.
ASSESS. ET ACAD. CAES. NAC. CVRBIOS. REG. FLORENT.
ET ELECT. MOGVNT. SCIENT. VTL. SOCIET. MED.
PARIS. ET LONDIN. DVCAL. LAT. ET PHYS. IENENS.
ACAD. PRINCIPAL. HASS. ET OECON. BAVAR. BVRGHVS.
FLESSING. HAARLEM. ROTTEROD. RHENO - TRAECT.
ET MOSOVENS. EXCOL. LIT. BOSSIC. HELVET. CHR.
MED. COLL. MED. NANCEIANI SODALI.

P R O G R A D V D O C T O R I S

S V M M I S Q V E I N M E D I C I N A E T C H I R V R G I A
H O N O R I B V S A C P R I V I L E G I I S

R I T E C O N S E Q V E N D I S

A. D. XXIII. IANVARII CCCLXXXIX.

P U B L I C E D E F E N D E T

A V C T O R,

I O A N N E S C H R I S T I A N V S R I N C K

L O N G O S A L I S S A - S A X O .

I E N A E

T Y P I S G O E P F E R D T I I .

Ms. S.
223.

LIBRARY OF THE
UNIVERSITY OF TORONTO LIBRARIES

1879-1900
1879-1900

1879-1900
1879-1900

1879-1900
1879-1900

1879-1900
1879-1900

Med. V. 223
^{2 Be}

129270101

VIRIS
ILLVSTRBVS EXCELLENTISSIMIS
EXPERIENTISSIMIS
ERVDITIONE MERITIS HVMANITATE
CONSPICVIS

IOANNI CHRISTIANO
STARK

MED. ET PHILOSOPH. DOCT. DVC. SAXO-VINA-
RIENSIS ET ISENAC. CONSIL. AVL. ET ARCHIA-
TRO ACTVALI MED. PROFESS. PVBL. ORD.
SVPERNUMERARIO IN ACADEM. JENENSI IN-
STITVTI CLINICI DVCALIS DIRECTORI
MERITISSIMO ETC.

PATRONO AC PRAECEPTORI
MAXIME DE ME MERITO

IO. CHRISTIANO TRAVG.
SCHLEGEL

MED. DOCT. SERENISS. PRINCIP. DE SCHOEN-
BVRG-WALDENBVRG CONSIL. AVL. ET AR-
CHIAT. ACAD. CAES. NAT. CVRIOSOR. SODAL.

ETC.

FAVTORI AC COGNATO
OMNI HONORIS CVLTV PROSEQVENDO

NEC NON

FREDERICO CHRISTIANO STOELLER

MED. DOCT. VIDVAE DVCIS DE SAXO-WEIS-
SENFELS QVONDAM ARCHIATRO MEDICINAE
PRACTICO FELICISSIMO AC PHYSICO MERITISSI-
MO APVD LONGOSALISSENTES, ETC.

FAVTORI AD CINERES VSQVE COLENDO

QVALEM CVM QVE

HVNCE LIBELLVM ACADEMICVM

PIETATIS ET GRATISSIMI ANIMI

SIGNIFICANDI CAUSA

D. D. D.

A V C T O R,

PROOEMIVM.

Paucis Te moror, L. B. sub introitu, quasi boni ominis causa. Quicquid in scholis PERILL SAXTORPH, Prof. Hafniensis longe celeberrimi, audiendo percepit, in regia obstetricia domo (Kongelige Foedsels — Stiftelse) et vidi, et feci, in scriptis medicorum obstetricantium ut bonum, praeclarum et vsu probatum, legendo reperi, ex colloquio inter familiares in re obstetricia hausit, vides hoc in libello academico, tanquam in tabula expressum, sed stilo simplici et terso, sine ambitione ac affectatione doctrinae multiplicitis, sine vlla gloriolae cupiditate. Scripsi, quae vsu et experientia ipse expertus didiceram. Qua si quando destitutus eram, cavi sedulo, ne paullo audentior vel arrogantior in affirmando ac negando esse viderer, candide professus, quae nesciebam, vnde et a quibus profeceram, ut bonum virum decet. Neque vero ita me aliis mancipauit totus ab auctoritate penderem, nihil mihi sumerem. Magni facio magna nomina, iisque facile adsurgo, sed ita identidem ab eorum opinione recedam, ut magis veritati, quam auctoritati

dem. Dissentio iterum iterumque, sed munitus et
fretus propria experientia, optima et fidissima re-
rum magistra. Ego vero sum etiam medicus obste-
tricus. Materiam diffensus suppeditat v̄sus et bo-
num officium, quod parturientibus praefiti, mo-
destiam dictitat honos, quam cuique habendum
censui. Dico, quae sentio, suum cuique arbit-
rium lubens et gratus relinquō. Facile est errare,
falli et fallere, etiamsi nolis. Veniam do vi-
cissimque peto.

In opusculo subito quaedam capit̄ (fateor)
magis attigisse, quam pertractasse videor, sed arctis
libelli academici cancellis circumscriptus scripsi,
quae potui, non quae volui. Erit forte aliquan-
do et tempus, et otium, et v̄sus v̄berior, non de-
erit (puto) scribendi animus.

Haec vero praefanda duxi, ne quis censor
paullo iniquior et durior mihi dicam scriberet,
vel plura a me facienda postularet, quam e re
erat. Iudicia peritorum opto et rogo, non recuso,
neque tamen numero. Vnus enim probus et a
partium studio alienus mihi erit instar omnium.
Si quis inter legendum me verum et rectum di-
xisse inuenierit, neque operam insumentam se per-
didisse crediderit, habebo, cur mihi plaudam. Pla-
dere enim viris magnis artisque obstetriciae con-
sultis cupio. Ita vale et faue. Ienae III Non.
Januar. ccccccxxxiiii.

INTRODVCTIO.

*F*orceps obstetricia, probabile huius dissertationiumculae argumentum, in quo amplius versari lubitum est, instrumentum artis est, quod ferreis quasi manibus constat, cujusque ministerio partes quasdam foetus in vtro contenti, et retenti, praecipue caput, apte prehendere ac secure, i. e. sine vlla noxa extrahere possumus. Angustis libelli finibus circumscriptus, forcipis, anchorae obstetricantium medicorum, et historiam, et mechanismum silentio transeo, nominatis solummodo viris clarissimis, MAURICEAV, la MOTTE, DEVENTER, WALLBAVM, IANCKIVM, *) SMELLIE, HVNTER, JOHNSON, LEVRET, ROEDERER, STEIDELE, PLENK, STEIN, CRANZ, DANZ, **) etc., qui hanc materiam ample ac docte pertractant, hoc instrumentum bene delinearunt, Meo quidem consilio plane sufficere existimo, vt forcipum praecipuarum, quae hodie ab magistris in vsum trahuntur, paucis mentionem faciam.

A 4

Omnis

*) Commentat. de forcipe ac forcice ferramentis a Bindgio innentis eorumque usu in partu difficulti, Lips. 1750. c. f.

**) CRANZ de re instrum. DANZ, Histor. forcip. etc.

8 DISSERT. INAVG. MEDICO-CHIRVRGICA

Omnium forcipum, quarum satis magna copia est palmariae sine dubio sunt *forceps Smelliana*, et *recta forceps Levretiana s. curua*, quarum quaelibet prius gaudet virtutibus.

Sic *Smelliana Levretiana* secundum Cl. SAXTORPH *) longe intecellit:

1. ob subtiliorem structuram, 2. ob ansas minori difficultate jungendas; 3. ob faciliorem ejus applicationem ac directionem ad plures peluis plagas, denique quia haec forceps in mafupio et contineri, et sine molestia portari **) et, parturiente nescia, nec opinante, facile ac celeriter in natura inferi potest.

Forceps Levretiana autem in eo superat *Smellianam*.

1. per accommodatam suam ad axin peluis curuationem, 2 per firmiorem ejus circa caput applicationem, 3 per majorem ejus longitudinem, qua sit, ut capite etiam in superiori peluis adhuc haerente, commode applicari conjungique poscit, 4. per fabricam eius aptam securae applicationis in *obliqua* directione *) 5. ob minus

*) V. Dissert. inaug. de diuerso partu, Hafniae 1771. 8.

**) Hanc forcipis *Smellianae* dotem PERILL. SAXTORPH et forcipi *Friediana* addidit, curando, vt manubria ejusdem certo modo plicatilia redderentur Descripta delineataque reperitur in Actor. Hafniens. Vol. II. p. 344.

***) SAXTORPH, cum dissert. inaug. ederet, de usu forcipis in *obliqua* directione cum Stein (practische Geburtshülfe §. 645) et aliis viris valde dubitabat, donec variis partus casus eum de errore conuincerent.

minus periculum disrumpendi perinaeum, si imprudenter applicetur. Huc accedit, quod haec forceps in casu quodam singulari, de quo postea differitur, etiam *inuerte* maximo cum emolumento introduci possit.

Praeter has virtutes, quibus *forceps Levretiana* exstructa ornataque est, nonnulli auctores, inter quos etiam esse ILL. STEIN cognouimus, aliud commodum in eo quaerunt, quod haec forceps foramine atque ligula mobili praedita sit, ideoque coniunctionem brachiorum firmiorem, quam in *Smelliana*, redderet.

Experientia vero satis docet, coniunctionem *forcipis Smellianae*, dummodo recte applicetur, non minus esse firmam ac securam, quam illa, quae *forcipi Levretiana*e vulgo attribuitur. Haec ipsa potius *forcipis Levretiana*e constructio vsum eius in *obliqua* directione quam maxime contaria est. Audiamus Cl. GEHLERVVM!

„Aperte hinc fateor, inquit vir in re obstetricia egregius me encomiis ac laudibus ab Ill. STEIN *Levretiana*e forcipi tam large tributis „nullo modo commoneri, ut tantopere antecel- „lere omnes alias, certe in capitobliqui solutione, „illam existimarem. In ipsa potius eius con- „structione varia me deprehendere mihi videor, „quae eius usum, alte adhuc reposito capite, om- „nino impedire censeo. Horum primum est „nimis prominens in brachio masculo ad firman- „dam brachiorum juncturam adaptatus clavis, „quem imposita huic operi destinata clavis ad „augendam nexus firmitatem in gyrum cogi „oportet.“

Ad has, quas modo liberaliter recensui, forcipes, nempe *Smellianam* ac *Levretianam*, omnes aliae huins instrumenti species, quo denum cunque sint nomine, qua forma fabricae, quoad veram naturam, reduci facile possunt. Sicb. FRIED, filius, forcipem nobiscum communicauit, cui *cochlearia* ad modum *LEVRETI*, *ansa* vero ad mentem *Smellie* erant. Haec forceps ab inventore ac auctore Friediana dicitur; ab aliis etiam *Germanica*, quia a *Germanicis* praecipue partus adiutoribus in usum vocatur. Nunc etiam Perill. SAXTORPH hac semper utitur, qui autem *Smellianam rectam* adhibuerat. Quando igitur in hac dissertatiuncula de usu forcipis mihi speciatim sermo est, semper forcipem Friedianam intelligo.

Postea plures artis obstetriciae magistri forcipem diuerso modo mutarunt, suo quique ingenio usi, inter quos praecipue ILL. STARK, praeceptorum venerabilem, honoris et obseruantiae ergo nomino. Quae vero hic medicus atque obstetricans egregius in forcipe mutarit, equidem lubens praetereo, orationis ambages repetitionemque euitaturus. *)

STEIDELE, BAVDELOCQVE, SACHTLEBEN et alii forcipem sibi aptam etiam construxerunt, sed re ipsa nihil ab iis factum est, nisi vt forcipem Levretianam — forsitan absque necessitate — paulatim immutarint. Majori cum felicitate eam correxit

*) V. Stark Archiv f. die Geburtshilfe etc. T. II Stück. 1. p. 28 et annotat, in Roederers Geburtsh. Ien. 1793. Döbner. Diff. de instrum. applic. necess. Ien. 1785. p. 27. Figur. III. IV. Bernstein Handbuch f. Geburtshelfer, p. 145.

rexit Cl. ORME, angulum intra brachia, vbi inter se junguntur, dilatando, quo pressio nimis vehemens, nimis inutilis sereque nocua capiti cerebroque foetus auferatur, quam forcipem Cl. MECKEL magnis effert laudibus. *)

Hae sunt forcipes potiores et vñstatissimae:
Nunc nobis paullulum de *praefantia forcipis in arte obstetricia* dicendum restat. **)

Forcipem obstetriciam omnium instrumentorum esse tutissimum utilissimumque, qui negare audeant, admodum pauci reperiuntur. Inter omnes enim partus praeternaturales nullus est, qui a naturali absit proxime, quam partus forcipis ope peractus. Ex quo intelligi potest, eam semper esse anteponendam versionis negotio in casibus ambiguis dubiisque. In adhibenda forcipe partes genitales, praeceunte capite, eodem modo,

quo

*) V. eiusd. Annotat. in *Baudelocque* Anleitung zur Entbindungsk. B. II. p. 56. et 59. An vero et forceps *Johnsonian* (vid. Cl. KVEHN Diff. de forcip. obstetr. recens inuentis, Lips. 1783.) magnam eam laudem mereat, quam ei ibidem tribuitur, equidem dubito. Haec vbi iam scripseram, narrabat mihi Cl. MENZ, medicus obstetricans Lipsiensis, se etiam forcipe *Johnsonian* vti felici cum successu in eo casu, quo frons foetus spectaret ossa pubis.

**) Quam materiam egregie exposuit Ill. STEIN in programmat. suis: de mechanismo et praefantia forcipis Levret. Cassell. 1767. 4 et de praefant. forcipis ad seruandam foetus in partu difficulti vitam. ibid. 1771. 4. CRANZ l. cit.

12 DISSERT IN AVG. MEDICO - CHIRVRGICA

quo in partu naturali, dilatatae, aptiores redduntur ad expediendas reliquias foetus partes. Praeterea vertex, minor capitis pars, forcipis dolorumque vi ac compressione ita cuneatur, ut totum caput multo maiori facilitate angustias pelvis transire possit quam si basis crani, latior capitis pars, praegreditur *) Quod pertinet ad foetum ipsum matremque, iis non tantum periculum ac detrimentum ex forcipe, quantum ex versione, oriri posse et ratio, et usus satis docent. Equidem haud negare audeo, quin caput foetus fortius plerumque comprimatur in adhibenda forcipe, quam in partu naturali fieri solet, hic vero de partu praeternaturali sermo est, quin compressio naturalis saepe vehementissima est longiusque durat, attamen foetus viuis et integer exit. Incredibile esse fere videtur, qualem quantumque compressionem caput foetus, salua vita, perferre possit! Sed pluries occasio mihi dabatur, oculis meis, quam verum id sit, videndi. Si vero animo cogites ossa foetus esse adhuc mollia, flexibilia, fere cartilaginosa, futuras autem ac fontanellas membranulis fere formatas, ossa capitis praeterea magna gaudere vi elataica, eaque absque omni periculo supra se inuicem conferri ac moueri posse, miratio ista quidem aliquo modo minuitur. „Quod infantes, inquit *Perill. SAX-TORPH*, sub partu laborioso, ubi caput praeuium est

*) Cf. *Mitthoff* diff. inaug. fist. comparationem inter versionis negotium et operation. instrum. Gotting. 1788. *Detharding*. diff. inaug. de determinandis finib. et recto modo applicand. forcip. et faciend. versionis, Ien. 1788. 8 vers. in: Ausgesuchte Beiträge für die Entbindungsk. 2tes Stück, Leipzig 1789. 8.

„est, moriantur, potius videtur adscribendum
 „funiculi nimiae ad partes foetus compressioni,
 „ab utero constricto occasionatae, quam iphus
 „capitis pressurae.“

Vt vero experientia optima est rerum magistra in omnibus aliis disciplinis et artibus, ita et hic nos docet multitudinem foetum viuentium, forcipis ope natorum, multo esse maiorem, quam numerum illorum, versionis negotio in lucem protractorum. Accepimus ab Ill. STEIN tabulam, partus et forcipe, et versione peractas continentem, quae id, quod modo dixi, luculenter confirmat.*)

Matri quidem *iusta* ac *prudens* forcipis applicatio nequaquam tantum dolorem ac detrimentum adfert, quantum in versionis negotio, si rudiori manu peragatur, verendum est. Quo fit, vt foemina parturiens, iam partum a forcipe et versione perpessa, in tertio casu praeternaturali, ubi, licetum esset, intra illas parturiendi vias unam sibi eligere, hand diu haesitaret, sed contra statim, ac optio dabatur, forcipem versioni preferret. Multae muliercularum Parisiensium ad dolores reparandos parum forcipis ope partui adeo naturali secundum Cl. MECKEL **) anteponunt.

Ii, qui forcipem plane contemnunt, eamque nomine instrumenti periculosi atque inutilis diffamare student noscunt, ut BAVDELOCQVE accommodate ait, nec modum, quo agit hoc instrumentum

*) L. cit. §. 13.

**) L. cit. p. 61.

mentum, nec artis obstetriciae difficultates, iudicantque magis ex abusu, quem ipsi commiserunt. Forsan et studium prauusque amor paradoxa ac singularia dicendi, quo isti viri laborant, huc referenda est.

Finita hac breui introductione, missis ambagibus, nunc ad ipsas fines determinandas et diuersos modos applicandae forcipis venio.

INDICATIONES ET DIVERSAE METHODI APPlicANDAE FORCIPIS.

*Forceps indicatur vel generaliter, vel specialiter, id est, secundum BAVDELOCVE, *) quando ea sola, omnibus aliis remediis nihil efficientibus aut proficientibus, auxilium praefentaneum promittit, aut quando vis eius auxiliumque alia remedia celeritate ac utilitate valde superat. In hoc igitur casu *vsus forcipis accidentalis* est.*

Ante vero, quam vterius progredior, *methodus generalis applicandae forcipis* videtur describendus illustrandusque, sed hanc materiam iam saepius et ad nauseam fere vsque scriptores occuparunt et repetierunt. **) Lectores meos igitur remitt-

*) L. c. p. 4;

**) Modos applicandae forcipis diuersos collegit KERSTENS in tentam. med. de direction. forc. in partu applicand. Haan. 1783. 8.

remitto ad scripta principum nostrorum artificum, praecipue ad Pll. SAXTORPHII dissert. iam citatam, vbi modum forcipis *praeparationis*, *prehensionis*, *directionis*, *introductionis*, modum deinde *brachia inter se coniungendi* et *caput soluendi extrahendique*, egregie expositum invenient. Cautionum tamen quarundam in extrahendo capite obseruandarum, hic ut mentionem faciam, officii est. Ab Perill. SAXTORPH diligenter commendantur in paelectiōnibus suis. In extrahendo enim capite cum maxime respiciendum est ad tria momenta. Nam fieri potest, ut caput foetus 1. in apertura pelvis ad-huc *superiori* *) haevore possit, aut 2. in *cauitatem* pelvis iam descenderit, aut 3. in ipsa pelvis apertura *inferiori* inueniatur. Nunc vero hoc scire licet, ut in *primo* casu, forcipe sub initio operationis versus matris perinaeum depresso, extractionem capitis in hac directione incipias, ac instrumentum in progressu operationis sensim sensimque eleues. In *secundo* casu haec regula ponenda est, ut forceps applicata *horizontali* directione teneatur, ac iterum in partus decursu magis eleuetur. In *tertio* denique casu hoc momentum est, ut in fine partus directione forceps teneatur, ac caput extrahatur ita, ut instrumentum supra montem veneris cum matris abdomine angulum fere acutum constituat. **) Quibus regulis neglectis, forceps recte quidem applicata facile

*) Cf. librum egregium III. SOMMERI. Die Axe des weiblichen Beckens, Braunschweig 1791. 8.

**) Cf. Stein praktische Geburtsh. Abschn. IV. cap. 1. et Steidele von dem unvermeidlichen Gebrauch d. Instrum. in der Geburtsh. p. 23. 24.

facile labitur a capite foetus. Quo sit, vt tota operatio vana reddatur.

Perlustremus nunc *indications forcipis applicandae generales.*

INDICATIONES FORCIPIS APPLICANDAE GENERALES.

CASVS PRIMVS.

CAPVT FOETVS RECTO SITV *) IN PELVI RETINETVR.

Caput in pelvi retinetur, si nullo modo aut faltem difficulter progreditur, et in eodem loco haeret; id quod in apertura et superiori, et media, et inferiori fieri potest.

Plerumque tamen in apertura media et inferiori caput remanere obseruabis, et quidem in diametro obliqua cum fontanella posteriori versus ramum horizontalem ossium pubis locatum, haud valentem se supra arcum ossium pubis in diametrum rectam torquere. Auctores hunc casum *partum tardum* vocant. Causa huius retentionis plerumque in foetus capite iusto maiori et in matris doloribus ad partum inordinatis ac debilibus quaerenda est. Partus tardus saepissime in primiparis obseruatur propter genitalium rigiditatem.

*) Quid intelligam, sub recto in pelvi capit isitu legi potest in Ill. STARK Archiv 1794.

em. Diagnosis facillima est et ex dictis patet. In hoc casu forceps solito more applicatur. Id quod facillime fit, cum intra caput et pelvum Ipatium introducenda forcipi sufficiens inueniatur. Commendanda autem atque, vt ita dicam, inculcanda haec regula aurea est, *cave, ne nimis acceleres forcipis applicationem!* Cuius neglectio saepe efficit, vt partus tardus quidem, sed naturalis, absque necessitate in partum instrumentalem mutatus sit. Multo melius utiliusque est naturam agere finere, quandiu valet, et expectare utique, donec parturiens plane defatigata ac debilitata doloribus ad partum rite promouendis haud amplius valida est, aut, vt omnia uno verbo complectar, donec omnes ad partum dolores plane cessant, nisi partium genitalium inflammatio aut alia symptomata periculosa urgeant. Clyisma emolliens, vapores cahidi aut ispa injectio in vaginam emolliens, emeticum, opiatum, anodynum, camphoratum, venaelectio etc., tempore ac loco apto adhibita impedimenta ac caulas retardationis tollendo saepissime partum quam felicissime promoverunt, nullo adhibitio forcipe. Contigit mihi esse tam felici, vt in nosocomio Hafniensi obstetricio partum, per 36 horas et quod superest, tardantem fieri viderem absque omni et matris, et foetus detimento. Nunquam nobis licitum erat ad forcipem configere, priusquam omnibus ad partum doloribus silentibus, mater nimis esset defatigata ac delassata. In quo omnes magistri artis obstetriciae periti cum Perill. SAXTORPH fere consentiunt. Inter plures unum STARKIVM honoris caussa voco, ne iusto verbosior esse videar. Ita ille: „Oft war nur eine kleine veränderte Lage der Gebährenden bei einem etwas „„schief stehenden Kopfe, oft ein treuherziger „„Zuspruch, oft eine kleine Aderlässe bey Vollblü-

33 DISSERT. IN AVGVR. MEDICO-CHIRVRGICA

„tigkeit, oft unsere Opiatmixtur bey mangelndem „Reiz noethig, um die Geburt, obgleich etwas „langsam, und doch sicher, zu vollenden. Et „alio loco paullo post: In diesem Falle hüte man „sich doch ja, gleich und etwa zu rasch die Zange „anzulegen, die nicht selten dem Kinde gefähr- „lich und nachtheilig werden kann, sondern „gönne der Natur einige Zeit. Mutter und Kind „werden gewiss beim Leben erhalten, besonders „wenn erstere noch Kraft genug verräth.“

Haec hactenus. Nunc, ipsa natura duce, di-
cor ad *incuneationem capitidis*, altiorem retentionis
gradum, de qua multum differuerunt ac certarunt
inter se auctores. Eligam igitur primum ex scrip-
tis eorum ea, quae mihi veritati maxime con-
sentanea esse videntur, deinde subiungam, quae ipse
ego in partus negotio obseruauerim.

Caput foetus incuneatum sive inclauatum esse,
scribunt auctores, quando a pelui immobile, ut
claus parieti infixus, ita retineatur, vt nullo modo
nec viribus parturientis propelli, nec sola manu
operatoris introrsum vel extorsum moneri possit.

Incuneatio fieri potest in peluis apertura su-
periori, media et inferiori, sub situ capitidis et
naturali, et praeternaturali. In hoc casu ab in-
cuneatione periculum majus est. Causa, vnde
solet euenire, vnicorquaerenda videtur in propor-
tione mala, quae magnitudinem capitidis et am-
plitudinem peluis intercedit. *Simplex* dicitur
incuneatio, si peluis secundum diametros vitiosa,
et quoad caput naturalis magnitudinis, paullo an-
gustior est, vel si solum foetus caput maius est,
ac pelui naturaliter efformatae conuenit. Con-
tra dicitur *complicata*, si et peluis matris nimis
angusta, et caput foetus amplius simul inciderint,

vna

vna cuim aliis vitiis, v. c. obliquitate vteri, prae-
ternaturali capitinis situ, spastica genitalium angu-
stia etc.

Signum incuneationis pathognomonicum est
perfecta capitinis immobilitas, signa concomitantia
sue assidentia ingens capitinis tumor, ceruicis vteri,
vaginae et externae naturae intumescentia;
immo etiam inflammatio.

Quae incuneatio cum pro mensura et am-
plitudine varia longe diuersissima esse debeat,
factum quidem sine dubio est, vt auctores, maxi-
meque ROEDERER, STEIN, PLENCK. tres gradus
constituerent, sed hifere, bene monentibus STEI-
NIO et BAVDELOCQVE, post finitum demum par-
tum definiendi sunt. Etenim tactu gradum propor-
tionis inter caput et pelnum laesae intelligere ac
distinguere non licet, neque sub initio partus de-
finire, vtrum caput foetus transituri incuneetur,
quo in gradu, leuiter, an magna cum difficultate
etc. In priori eius gradu, quem recte dixeris
remoram capitinis peluum transituri symptomata
sunt paullo leviora, neque partus ultra XXXVIII
horas porrigitur, caput demittiur tardilime ac
interpolato spatio, sed quodam modo tamen et
fensim pedetentimque, tumor capitinis foetus et na-
turalium inmatris intumescentia sunt modica;
inflammationis vestigia aut exigua, aut nulla. Iu-
uant ea, quae paullo ante ad retentionem capitinis
auferendam commendavi, nisi forte ab initio
pelvis vitiosa et peruersus capitinis situs deprehen-
datur. Tunc vero, quam fieri potest ocyssime,
antequam maior subnascatur incuneatio, forcipem
adhibuisse praefstat.

20 DISSERT. IN AVG. MEDICO - CHIRVRGICA

In altero incuneationis gradu augescunt et ingrauescunt symptomata, et periculum maius est, neque sufficiunt vires naturae ad superandam vim, sed fere succumbunt. Caput paullo amplius, ac pelvis capere potest, a partus doloribus vehementissimis, haud interpolatis vel quiescentibus, feminam grauiter afficientibus et valde delassantibus de loco suo non dimouetur, et a pressione continua et urgente induit tumorem magnum, quem caput succedaneum nominant; labia, vrethra, ceruix vteri, vagina et intestinum rectum, inimani contusione laesa, inflammantur, et, subsistente caussa, gangraena correpta emoriuntur. Hinc saepius incidit vrinae suppressio, vel, in quo maius vitae discrimen est, vrethra, perinaenum et intestinum rectum, quin ipse vterus foede disrumpuntur. Minor noxa est, si atonia vesicae et intestini recti remanet. Tunc sterlus et vrina inuitae aegrae per omnem vitam profluunt. Si trahitur partus negotium, vterus, veluti lassus ab opere, quiescit, parturiens viribus exhausta defetiscitur, vox fit debilis atque tremula, facies pallida, oculus turbidus et languens, corpus eiusque extrema contremiscunt, dolores ad partum sunt inaequales, tandemque desinunt.

Magnum hinc vitae discrimen matri et foeti imminent. Nam sub auctore BAVDELOCQVE haud raro reperiuntur capitis ossa introrsum depressa vel fracta, vasa sanguine valde distenta, quin sanguis ipse sub integumentis vel intra cranium effusus. Vna ergo salus est in forcipe, res tamen perardua est, quomodo propter angustiam eam commode immittere possis, neque vero impossibilis, modone desint dexteritas, opera, patientia. Fac ergo, caput paullo altius sub pelvis introitu haerere, nec faciem super promontorium ossis sacri

sacri posse apte deprimi, hoc quam maxime cura, vt stans in extremo pede cum nisu quodam forcipem sursum eleues, deinde prorsum deprimas, tandem ea facias, quae artis sunt. Cf. STEIDELE l. c. p. 26.

Restat *tertius* gradus incuneationis, in quo et symptomata longe grauiora sunt, et natura prostrata iacet. Hinc praecitate ROEDERER: „Caput subsistit, inquit, intra peluum firmissime desigitur, veram paragomphosin sistit, peluis vniuersum marginem contigit, quin cum eodem perpetuum corpus apparer.“ Tam arcte compressum ac dentum est spatium inter ossa capitis et peluum, vt ne specillum quidem intro demittere possis. Hunc vero modum vere dari negauit BAVDELOCQVE, (l. c. T. II.) vnaque negarunt reliqui, qui stant ab eius partibus. Ille enim non, nisi vnum admittit modum, si quando caput binis transuersis locis firmiter adprimatur, et caput incuneari posse pernegat, si peluis respectu capitis nimis vel lata, vel angusta fuerit. Ego vero hoc quidem concesserim, si peluis valde deformis esse videatur, caput non adeo incuneari posse, cum hinc inde supersit spatium reliquum, quo pertingere nequeat, neque tamen utramque opinionem adeo a se differre puto. Credamus ROEDERERO, dari casus, in quibus caput omnem peluis superficiem ubique ac ita contingat, ut utraque vnum corpus constituere videantur, at vero et BAVDELOCQVE hoc largiri nos oportet, partem eam, quae ubique assideat et spatium auferat, esse pro capite habendam. Quidni hoc in casu adsumamus peluis spatia a capite reliqua compleri ab magno capitis tumore instar asperis duro, et veram paragomphosin fieri? Id mihi quidem videtur esse verisimillimum, sed iudicium et

arbitrium sit penes peritos artis obstetriciae magistros.

Hic gradus, de quo quaeritur, est longe periculosisimus. Natura impos est, forceps ipse nos tantum non semper destituit. Neque vero ideo desperandum videtur, sed primum rem aggredi forcipe, deinde demum ad operationem progredi licet, praeter quam si pelvis adeo deformata et angusta per tactum inueniretur, ut forcipem nequaquam applicari, caput foetus angustias pelvis permeare ac superare nullo modo posse operator certum ac persuasum sibi habeat. Si manus magnitudinis mediae compressa inaccessa cauitati pelvis est, quicquid cum forcipe audeas, erit irritum, neque licebit caput expedire, nisi excisum et frustillatim demum. Hoc unicum et optimum indicium est, suffragante Cl. MURSINA, ut, cum eius scholis hospes interesse, gradus et lubens audiui. Manus docta mihi et potior, et tutior esse videtur quavis pelvimetro, unde demum cunque venerit, vel nomen acceperet.

BAUDELOCQUE forcipis applicationem noxiā fore existimat, si coniugata $2\frac{3}{4}$ poll. constat, eam iubet abesse, si $2\frac{1}{2}$ poll. est, securam et aptam censet, si diameter ista 3 poll. in longitudine est. Sed, ut recte monet LEONARD VAN LEEUWEN*) hac in dimensione ratio habenda capit is. Quod si paullo minus est, ac vulgo fieri solet, exceptio a regula locum habet. Huc pertinet BAUDELOCQUI obseruatio, qua docetur partum a natura esse feliciter ad finem perductum, cum

con-

*) Diff. de art. obstetr. hodiern. prae veterum praestantia, ratione partus difficilis et praeternat. L. B. 1783. vers. in ausgesuchte Beyträge St. I.

coniugata intra 2 $\frac{3}{4}$ poll. consisteret. Hoc vero perraro ita euenire puto. PERILL. SAXTORPH in ea opinione est, foetum, si diameter minor 3 poll. et aliquot lineis est, magno in discrimine esse quidem, sed passim viuum in lucem ediri posse forcipis ministerio, si vero diameter 3 poll. fuerit, forcipem tuto applicari posse. ILL. STEIN ne hos 3 pollic. coniugatae aptos forcipi applicandae censet, sectionem caesaream adhibendam hoc in casu suadet. Neque dissentit ILL. STARK, eamque melius omitti, quam admitti auctor est.

Si per res et angustias pelvis usus forcipis nullus est, reliquae tres viae partus expediendi sunt. 1. *Perforatio cranii.* 2. *Sectio caesarea.* 3. *Sectio synchondroscos ossium pubis.* Prima tunc demum locum habere videtur, si de foetus morte *) satis constat. Sed in hoc identidem falluntur artis periti et imperiti. Notas, quas vulgo memorant, copiosius adferre nec per libelli academici augustias licet, neque ad rem meam proxime pertinet, cum in quoquis obstetricio libello, et omnium optime a BAUDELOCQUE, perceniantur. Contra si qua suspicio vel spes vitae subest, alteri et tertiae locus est. ILL. STEIN *sectionem caesaream* substituit, BAUDELOCQUE atque SAXTORPH *sectionem synchondroscos ossium pubis*, si unquam, hoc in casu incuneationis tantum instituendam esse profitentur, si pelvis nec angusta nimis est, nec ad iuandum valet sectio caesarea. ILL. STARK *synchondrotomiam* in tertio gradu iucuneationis commendatam esse cupit, si magna pelvis diameter 5. poll. et parua

B 4

dia-

*) Cf. Boſe 1. John Diff. de diagnosi vitae foetus et neogeniti, Lips. 1771.

24 DISSERT. IN AVGVR. MEDICO-CHIRVRGICA

diameter 4 poll. circiter adaequarit. Tunc vero, si BAUDELOCQUIO et SAXTORPHIO fides sua constat, minus ab idonea forcipe periculum est. Neque modum, quo istae fieri debeant operaciones, multis referre lubet. Adeant L. B. quorum interest, ILL. STARK *), egregium operis demonstratorem.

Liceat huic adferre *hydrocephalum*, *caput ossificatum* ac *duplicatum*. Dicuntur *capitones*, **) quibus volumen capitis maius est, ac per naturae leges et nascendi facilitatem satis est. Sed hac in re DAVUS sum, ergo aliorum adsecla, v. c. BAUDELOCQUE AC PLENCK. Quod ergo ad *hydrocephalum* attinet, hoc per experientiam certum est, intra caput foetus iam in utero *** magnam aquae vim colligi ac inde vehementer distendi posse, idque, tale cum sit, sub partu magnam pariendi difficultatem inferre debere, et si dantur hydrocephali satis magni et per natum nati exempla. Rationem huius phaenomeni CL. PLENCK in praeternaturalimollitię ossium calvariae quaerendam esse putat, cum inde fiat incredibilis capitinis prolongatio. Hydrocephalus, in quo aquae copia modica subest, sere naturaliter, sed paullō tardius et maiori cum difficultate nascitur. Quod si contra sit, et aquae vis omnem

*) V. Geschichte einer glücklich vollbrachten Kaisergeburt, und ROEDERERS Anfangsgründe d. Geburtsh.

**) Hebenstreit 1. Heins Diff de capitonibus laboriosis partu nascentibus. Lips. 1743. c. f.

***) Klinkosch Pr. quo hydroceph. fetus rarer, eiusq. causs. proponit, rec. in Diff. Prag. T. I. n. 15. p. 254.

omnem caluam ita compleat atque distendit, vt caput foetus fere referat et aequet adulti caput hominis, (talia memorant auctores) partus sine artis adiumento fieri et absolui nullo modo potest. *Diagnosis hydrocephali* versatur in fontaneliarum et futurarum conditione ac habitu. Illae, auctore BAUDELOQUE, fere latiores palma sunt, hae vero ad vnum alteriusne digitum transuersum hiant et a se dissident. Praeter haec ossa sunt longe flexibilia, ac in statu naturali, praesertim ad margines, caput per se molle quidem, at sub partus doloribus tensum esse solet. Si certum satis capitinis volumen est, apice cultri, forcice vel acu triquetra inciditur vel perforatur fontanella, vel futura, vt aqua, quae intus est, commode profluat, caput ipsum detumescat. Sin vero nec dum foetus nascitur, caput hamo obtuso (stumpfen Haken) extrahendum est, contra si simul in pelvi incuneatum haeret, et vita supereft, forcipe. Si aqua integumentis communibus comprehenditur, sub auctore BAUDELOQUE licet cultello profundius incidere tumorem aquosum, vt aqua effluat.

Caput ossicatum. Dantur casus, in quibus vtraque fontanella et futurae iam in utero naturali osseam induisse videbantur, neque ossa verticis, vt in parti naturali moris est, moueri ac supra se conferri poterant. (Negant hoc Cl. HEBENSTREIT et ESCHENBACH, sed tactu rem ita se habere bene exploratur.) Debet ergo fieri vehemens incuneatio, nisi pelvis paullum amplior, caput mole ac volumine minori fuerit. Hoc in rerum discrimine audendum est, numquid forceps valeat, et tunc demum, si euentus audiens destituat, suadentibus aliis, ad sectionem synchondroeos ossium pubis properandum. In mortuo foetu perforatio cranii prodest,

Lusum naturae dixeris, sed paullo rariorem, si *caput duplex* est. Tunc vero iubent auctores attendere, duo capita simul, an seorsim ad partum veniant. In priori casu, si tumidiora sunt capita, vita foetus superstite, *forceps* pro adiumento est, contra, emortuo foetu, perforatione opus est, quo facto, forcipem vel hamum adhibendum esse arbitror, ut partus absolutatur. In posteriori casu spes supereft, fore, ut natura sola sufficiat ad partum expediendum. Tunc res omnis eo reddit, ut singula capita ad nascentiam deducamus, vel, si hoc commode fieri nequeat, faciamus id, quod per res circumstantes liceat, neque committamus aliquid, vnde matris vita in discrimen deveniat. Sed de his satis.

Jam progredior ad *peruersos situs capitis*, in quibus *forceps* quam maxime juuare solet.

CASVS II.

CAPVT FOETVS IN PELVI HABET SITVM
PERVERSVUM AC PRAETERNATVRALEM.

In hoc explicando cum primis sequar ordinem, quem a PERILL SAXTORPH perceperam, *quatuor formas situs peruersi et quatuor methodos adsumendo*, etiamsi alii cum BAUDELOCQUE plures pro varia peluis et capitis proportione dari profiteantur. Ego vero ut sciens falsa et in

inutilia scribere recuso, ita etiam mihi habeo persuasissimum, hanc cognitionem posse satis esse medico cuius obstetricio, ut, si quae aliae obueniant modificationes, possit partus negotium felicissime perficere.

PRIMA PERVERSI SITVS CAPITIS SPECIES
CAPVT PRAEVIO SYNCIPITE TRANSVER-
SALITER INTER LATERA PELVIS LOCA-
TVM EXTRAHERE.

In variis formis peruersi situs capitum haec omnium maxime occurrit, tactu facile dignoscitur, sutura sagittalis cum binis fontanellis transverse decurrit ab uno osse ilii ad alterum, et ut plurimum posterior fontanella, sicut in situ capitum naturali, in sinistro pelvis latere deprehenditur. Hunc capitum positum haud facile, si unquam, natura sola superat, plurima auxili pars in forcipe posita est, ut, si pelvis ampla beneque formata fuerit, medicus obstetricius cunctator, quam actor esse malit. Contigit mihi Hafniae commoranti videre ac obseruare binos casus, in quibus caput dolorum efficacia ex situ transuersali in obliquum, deinde sub arcu ossium pubis in rectum commutabatur, partus naturalis insequebatur. (Hoc fieri posse contra SMELLIE affirmantem negat et pernegat STEIN v. Pract. Geburtshilfe §. 748.) Sequuntur magistri artis obstetriciae varias vias, (methodos vocant) quibus caput, quod in tali situ est, possit de loco suo dimoueri. En potiores una cum epicrisi! Ordinamus ab ea, quam sibi SMELLIE vindicat. *)

For-

*) V. SAXTORPH Diff. de diuerso partu.

23 DISSERT. IN AVGVR. MEDICO - CHIRVRGICA

Forceps ad latera pelvis circa maximam capitum diametrum solito more introducatur os, frontis, versus os occipitis leni pressione cochlearium, comprimatur, post factam capitum compressionem ab uno ad alterum latus motando, vacillando axinque pelvis obseruando, extrahatur caput.

PERILL. SAXTORPH, egregie munitus et confirmatus experientia, hanc quidem viam ceteris omnibus anteferendam censet. En eius verba!

„Applicato ad latera pelvis instrumento, leni compressione diminuitur diameter capitum longitudinalis inter frontem et occiput, quo longior diameter capitum cum distantia minori ossium ischiorum tandem conuenit, eandemque facilius superat, ipsa structura capitum monstrat applicationem forcipis longe tutius circa frontem et occiput fieri posse, quam ad tempora. Nam in istis locis non tanta vasorum copia adeat, nec leuis compressio ibi tantum nocet, quam in temporibus. Obiiciunt nonnulli, periculosam esse hanc methodum, quia extremitas forcipis facilime oculos aliasue partes faciei laedere potest, sed contrariatur hoc experientiae. Nam quando synciput transuersi capitum horizontaliter in pelvi situm est, facile supra faciem ad menatum usque transcendunt cochlearium apices; quando vero in situ capitum transuerso depresso est occiput, non, nisi ad frontem apex brachii penetrare potest, cuius integumentis interdum leuem facit impressionem, nunquam vero periculosa, nisi forceps non iustum habuisset curvaturam, aut rudis nimis in eius applicatione operator inueniretur.

In

In quo rite diiudicando hoc quam maxime reputemus necesse est, ut hasce laudes soli forcipi, cui SMELLIE nomen dedit, tribuamus, cui curvatura magis recta est. Haec enim forma cum desit Levretiano forcipi, satis aptus in hoc casu, nisi propter necessitatem non est.

Supereft alia methodus, quam SMELLIE commendauit. *)

Foemina in situ laterali componatur. Brachium vnum forcipis, obseruatis generalioribus, sub arcu ossum pubis, alterum secundum concavitatem ossis sacri ad tempora foetus introducatur, introducta vniuantur, filoque firmantur. Caput circa latera forcipe comprehensum, leni motu conuerlorio instrumenti caute moueat, sic, ut facies foetus ad latus pelvis versa dirigatur et eleuetur in cauo ossis sacri, bene tamen attendo, ne laedatur os coccygis vel perinaeum. Capite in tali situ conueniente posito, extrahitur forceps, et, si opus sit, modo ordinario de nouo ad latera pelvis infertur, ut modo solito educatnr caput.

Ego vero, quantum perfocio, eam laudare nequeo propter plures difficultates scilicet. Enim non potest non fieri, ut perinaeum, naturalia externa, os coccygis, quin ipsum foetus caput eiusque molles partes in vagina retentae varie laedantur,

Tertiam methodum scripsit Cl. LEVRET.

Applicetur brachii cochlear, vnum vel alterum, masculinum scilicet methodo ordinaria cir-

ca

*) V. SAXTORPH l. 8.

30 DISSERT. IN AVGVR. MEDICO - CHIRVRGICA

ca occiput, si latus parturientis sinistrum spectat; aut etiam foemineum brachium, si occiput in latere pelvis dextro deprehendatur. Quo facto, motu duplicato simul instituto, ferratorio nempe, et attractorio, moueatur continuo instrumentum, deprimaturque, vt tali motu attrahatur occiput a latere pelvis in concavitatem ossis sacri. Educto dein brachio pubisque spectante facie, noua instituitur forcipis applicatio, qua ad latera capitum insinuata, operatio modo ordinario absolvitur.

„Haec procedendi methodus, inquit PERILL.
„SAXTORPH, facilius in machinis, quam in natu-
„rali subiecto instituenda; in his enim inclaua-
„tum foetus caput ita circumrotari haud leuiter
„impedit figura, quae in machinis, impedi-
„mentis naturae semper destitutis, operationibus
„haud tamen obesse videtur, vt fillam relatio-
„nem peluum inter et caput deinde postponi,
„quando nempe sub declinatione sincipitis in ar-
„cu pubis prodire debeat facies, cuius exitus, si
„non plane impossibilis, saltem difficillimus red-
ditur.

SECVNDA PERVERSI CAPITIS SITVS
SPECIES.

CAPVT PRAEVIO SYNCIPITE, MAXIME SVA
DIAMETRO INTER PVBIM ET OS SACRVM
HAERENS, FACIE ANTERIORA MATRIS
SPECTANTE, OCCIPITE VERSVS PE-
RINAEVM DECLIVI EXTRAHERE.

Haec capitum positura est semper periculosa, ne-
que a naturae viribus superabilis, tarditas autem au-
xili afferendi quoquis modo eauenda, cum ipsum
collum,

collum, pro parte pectus, possit ac debeat in peluum deprimi. Hoc in casu perat duo nulla salus supereft, nisi in forcipe prudenter adhibendo. Methodus omnium optima, caput tale fitum expediendi, haec est. *)

Obseruatis generalioribus per fenestras cochlearium ante applicationem forcipis ducatur fascia 2 pollic. lata. Circa latera capitum modo vulgaris applicantur deinde brachia, applicataque ordinario modo firmantur. Extremitatis fasciae, per fenestras applicati instrumenti ductae, leviter subtus facto nodulo ita iungantur, ut iam vnitam fasciam, si attrahatur, apicem manubriorum forcipis longitudine attingat. Dextra manus modo ordinario prehendat manubria forcipis in horizontali situ, sinistra vero fasciam, perpendiculariter a forcipe versus terram pendentem, supra nodum amplectetur. Junctis deinde manum viribus sit extractio, dextra nempe manu manubria forcipis rotantur, et successive versus ossa pubis eleuantur: sinistra vero modo firmiter innixa deprimuntur cochlearia, circa caput applicata, quo modo tali composito, facies per brevissimam peluis profunditatem anteriorem sub arcum pubis praemia educatur.

Haec vero methodus ingeniosa, qua duae vires, attrahens et detrahens, coniunctim operantur, ad Cl. LEVRETVM pertinet, et tum etiam locum habere potest in situ capitum illi opposito.

TER-

*) V. SAXTORPH. I. c.

TERTIA PERVERSI CAPITIS SITVS
SPECIES,

VBI FRONS AD OS SACRVM SPECTAT.

Haec autem methodus LEVRETI, etiam si longe utilissima et praestantissima, effecit, ut Perill. SAXTORPH novam priori similem forcipis applicandi encheiresin et singularem operationis methodum sibi fingeret. Quoties cumque situs talis est, qualem adhuc descripsi, et pars capitis ossibus pubis apposita, sine frons dicatur, siue mentum etc. primum et ab initio in peluum delabitur, magis, ac ere erat, solet primum forcipem inuersam, immissa fascia per fenestras cochlearium, intro mittere, vt partem capitatis ossi sacro incumbentem mobiliorem reddat, deinde aliter, ac in superiori methodo praescriptum erat, cum forcipe deorsum trahere secundum matris femora, et cum fascia in directione horizontali ad le. Praterea solet SMELLIE (v. SAXTORPH et VAN LEEWEN. Diff. l. c.) si quando foetus facie praenua est, et mentum ossi pubis insidet, rem ita aggredi, vt forcipis ministerio mentum infra ossium arcum deprimatur, atque caput ipsum liberetur. Idem consilium idemque modus est, si facies praenua ad os pubis, mentum ad os sacrum advertitur, Ego vero hoc vnum vereor, ne hac via vel foetus collum contorqueatur, vel os coccygis et perinaeum matris foede dilaceretur.

QVARTA PERVERSI SITVS CAPITIS
SPECIES.

CAPVT FOETVS OBLIQVE AD MAR-
GINEM LATERALEM PELVIS SI-
TVM EXTRAHERE.

Sub pubi brachium forcipis oblique a men-
to ad occiput infantis introducitur, ita, vt margo
concanus brachii semper collum foetus, margo
autem conexus femur matris oppositum respiciat,
deinde brachium alterum a commissura genitalium
inferiori, juxta os sacrum, etiam oblique versus
angulum dextrum posteriorem pelvis ad promon-
torium ossis sacri situm, infertur. Efficitur hac
encheireli, vt tota capitinis infantilis longitudine inter
cochlearia forcipis comprehendatur brachiaque for-
cipi iuncta obliquam directionem inter tube osita-
tem ossis ischii et angulum dextrum ad promonto-
rium ossis sacri teneant; manubria oblique ad latus
(sinistrum vel dexterum) sub femore (sinistrum
vel dextrum) eleuatum, haerentia succellue in-
data directione attrahuntur donec facies os coccy-
gis appropinquauit, a quo tempore succellue ite-
rum versus pubim eleuantur brachia, donec to-
tum caput in directo ad aperturam inferiorem
pelvis situ circumductum est, ita, vt longitudine
capitis longitudini ossis sacri correspondeat. Per-
acta hac versione, caput praeuia facie, mento arcui
pubis innixo, vterius eleuando et versus abdo-
men extrahendo manubria sine vlla perinaei rup-
tura extricatur.

C

Haec

54 DISSERT. IN AVG. MEDICO - CHIRVRGICA

Haec operationis via, quam in acceptis reperimus PERILL. SAXTORPH, legitur vberius descrip-ta in Act. Reg. Societ. Med. Hafnieni, Voll. II. p. 539. seq. neque sola contemplativa, sed vsu et propria experientia, satis confirmata. Verissimam esse historiam ibidem narratam, equidem praestare ausim, cum autorem virum et probum, et veri studiosum cognouerim.

CASVS III.

CAPVT FOETVS POST VERSIONEM FAC-TAM IN PELVI MATRIS HAERET
IMMOBILE.

Haud raro inter pariendum hoc fieri solet, ut caput permagnum, peracta versione, sub extrema pelui subsistat, maximeque tum, cum obstetrix corpusculum protrahens caput in obliquam diametrum dirigere neglexerit, vel infantem supinum usque ad caput detraxerit. Vbi prius inciderit, hoc audendum quam maxime est, ut caput in diametrum obliquam secundum pelvis axin deorsum compellatur reddaturque liberum. Id quod omnium optime consequimur manum alteram supra infantis faciem ad frontem usque immittendo, hanc utroque narium latere arcte comprehendendo, alteram vero a dorso infantis ad occiput usque insinuando et sic deprimendo deorsum occiput, dum illa simul faciem in obliquam diametrum secundum ossis facri cavarationem descendere, caput ipsum e pelui exsiliare coegerit. Neque incommodè sub hac operatione ab alio corpus infantis una cum pedibus sursum attolli et prorsum, quantum licet, promoueri potest. Haec encheiresis plurimis in casibus solet esse praesidio, sed non semper, tunc vero sola for-

forcipis applicatio reliqua est: En auream STEINII,
viri clarissimi, regulam!

„Um aber die Wendung für das Leben des
„Kindes immer weniger gefährlich zu machen,
„rathe ich aus überzeugender Erfahrung, seine
„Zuflucht bei schwieriger Lösung des Kopfes nach
„Ω bis 3 mal vergeblich gemachtē Versuche,
„ohne weiteren Zeitverlust zur Zange zu nehmen,
„und es nicht auf mehrere Versuche ankommen
„zu lassen. Denn der dritte fruchtbare Handver-
„such ist dem Leben des Kindes schon so gefähr-
„lich, als der 4. 5. 6te; wenn sie misslingen,
„tödtlich sind;

Quod negotium vt aptius et commodius ex-
pediri possit, infantis corpus vna cum brachiis
prosum nos attollamus. et, vt moris est, reliqua
faciamus oportet. Rarissime opus erit perforatione,
quae hoc in casu singularem modum desiderat.

Si posterius est, id est, si obstetrix infantem
supinum non reddidit pronum, paullo difficilior
erit incunieatio, cum facies, maxime mentum et
nasus, arcui ossium pubis firmius apprimantur.
Debet ergo praeire encheiresis, deinde applicari
forceps. Haec ita suscipienda est, vt manum dex-
tram, si forte ad dextrum matris latus infantem
denoluere volueris, sub foetus dorso vsque ad
occiput dimittas, illudque recte apprehendas, de-
inde manu alia pectus et abdōmen linteō obuo-
lūtum complectaris, post ambabus omne corpus
cum capite superius in peluim mouere coneris,
vt faciem ab pubis ossibus demoliaris, ultimo cor-
pus obuolua ac in diametrum obliquam referas,
ceteraque facias, vt artis est. Caeu tamen, ne
vna manu infantis faciem ab arcu pubis depellere

audeas, et sic luxationem vertebrarum colli efficias.
Irrita enchiresi, quam modo scripsi, huic malo
forceps est unicum praesidium.

CASVS IV.

OBLIQVITAS VTERI CAPITE PRAEVIO.

Vterus obliquus vel inaequaliter expansus esse dicitur, si eius axis ab axi pelvis in directione sua deflexerit. Idque quatuor modis fieri potest, 1. versus os ilei dextrum 2. versus os ilei sinistrum. 3. versus os pubis, et 4. versus os sacrum. Restant praeter hos innumera puncta, dantur ergo etiam obliquitates vteri multae possibles, complicatae, mediae, sed haec fere in praxi nullius usus reputandae. Nominant etiam auctores *perfectas* et *imperfectas*, illasque adesse scribunt, si vteri axis ab axi pelvis adeo declinarit, ut cervix, maximam partem extra pelvis exitum aperta, tacitu vix aut ne vix quidem explorari possit, has vero tunc demum incidere, si os vteri eo loco, quo pelvis introit, ita apertum deprehendatur, ut omnem aperturam contingere liceat, sed ne sic quidem in centro pelvis sit. In quo iudicio cauendum est sedulo, ne quam leuem orificii vteri declinationem ab axi pelvis pro statu praeter naturati habeamus, quia os vteri, appropinquante partu, per raro in pelvis centro deprehendere possumus. Ego vero Hafniae cum commorarer, memini me videre os vteri parturientium ad latus matris sinistrum tantum non semper directum, quicquid etiam VAN LEEWEN (Diff. cit.) et alii observarunt. Creberrima sub auctore BAVDELOCQUE obliquitas vteri a latere dextro est, deinde quae antrorsum porrigitur, rarissime, quae lateri sinistro

sinistro incumbit, dubia, (?) quae a parte auersa esse dicitur.

Praeclare hac de re senserunt SAXTORPH *) et BAVDELOCQVE **), quod fundus vteri et orificium sub obliquitate non semper oppositum locum occupare soleant. „Falso fibi, inquit SAXTORPH, imaginantur vteri obliquitatem in mera „vteri in vnam aliamue partem inclinatione con- „sistere, adeo, vt axis longitudinalis uteri granidi „non, nisi simpliciter ab axi peluis descendens, „fundum ad iniustam abdominis plagam cogat. „Ipsa enim testatur experientia, hanc obliquitatem „ipsius vteri formam atque figuram actu ita mu- „tare, vt axis longitudinalis, quae recta linea „effet, incuruetur, atque ita totus vterus a forma „vasis sic dicti recipientis in veram retortae figu- „ram mutetur,

De caussis inaequaliter extensi vteri auctores inter se disceptant ac litigant. In his, vt mihi quidem videtur, prima ***) esse solet, si placenta non fundo, sed alii loco laterali adhaereat. Ea vero pars non eodem modo, quo reliquae, ex- tenditur, sequitur ergo hoc, vt vteras uno loco fiat breuior velutique incurvetur. Semel talem vteri curuationem in cadauere virginis inuenit Perill. SAXTORPH, in qua fine dubio vitium naturae suberat. Simili modo post mortem femi-

C 3

nae,

*) Collectan. Societatis med. Hafnieni. Vol. II. p. 128.

**) Anleit. zur Geburtsh.

I. T.

***) Coll. Hafn. I. c.

nae, cui parienti fuerat vteri obliquitas, a latere vteri sarcoma detexit, caussam expansionis inaequalis primariam. Ill. STARK, *) huc retulit ouarii infarctum.

Hanc vero vteri obliquitatem posse partum remorari, iam veteres medici, HIPPOCRATES, MOSCHION, AETIUS etc. professi sunt, recentiores etiam tantum non omnes praeter PVGH, CHAPMAN et SMELLIE. Principes inter obseruatorum VOELTERN, DEVENTER et LEVRET sunt. Vitium obliquitatis, si leue est, vires naturae suppetunt remorae huic auferendae **) Contra si magius est, vnde deinceps cumque sit, solent varia incommoda et difficultates ***) incidere, cum hoc sine obliquo infantis situ esse nequeat. In ipso partu caput ab vtero obliquo oblique in pelvum deprimitur, eique pro vario vitii huius gradu magis minusue apprimitur ac retinetur, dolores sunt ingratissimi, sed irregulares sine effectu, orificium tarde dilatatur, membranae forma veluti longitudinalis protrusae maturius, ac fas est, et intempestive disrumpuntur, caput vehementer compressum in pelvum demittitur, et desinentibus doloribus, re ipsa incuneatur. Tunc vero, auctore experientissimo SAXTORPH, ad tollendam vteri obliquitatem nihil valet *mutatus parientis situs*, vel *externa pressura* nihil ad infantis positum corrigendum *digitorum adminiculum* vel *vectis ROONHVSII*. Licet quidem premendo vteri orificium

*) Archiv für die Geburtsh. T. IV, Stück 5. p. 458.

**) Cf. BAVDELOCQVE l. c.

***) Coll. Hafn. l. c.

cium ad latus alterum declinare, sed relinquitur tamen obliquitas et curuatio, pergit ergo agere dolores inaequaliter, nullum ergo exinde leuamen sperandum est. Neque aliquid proficit difficillima digitorum vel vectis Roonhuysiana applicatio. Fac vero, posse hac ratione caput a loco, cui fortiter insidebat, dimoueri, tamen reliqui corporis positura immutari non potest, ergo dolores a tergo in caput et orificio vteri oblique agunt. Unica salutis in versione est, et si per spatium opportunitas iuuandi nulla datur, in forcipe reponenda, at vero a digitis et vecte aliquid speres, si pelvis satis ampla, vterus in situ apto est, caput infantis iustae magnitudinis ad hoc illudue latus paullum declinat aliqua cum mobilitate, aquis nondum dilapsis, orificio satis apertum est, quia omnis manus, non autem aliqui digiti, intro demitti debuit, Haec enchiresis quam bene proceſſerit, tribus obſeruationibus Perill, SAXTORPH confir-
mauit.

Aliter alii artis obstetriciae professores sentiunt, maximeque ILL. STARK, fieri posse contentund, ut commodo parientis situ et apto auxilio et ad summum vecte, obliquitas vteri corrigatur, caput foetus in axin pelvis dirigatur. Sed mei non est, tantas componere lites. Viderint periti, vtra ab parte sit veritas.

Casus V.

VBI HVMERI VEL PODEX IN PELVI IN-
CVNEATVR.

Solet haud raro incidere, ut, capite foetus fere nato et per vaginam protruso, humeri ad tube-

46 DISSERT IN AVG. MEDICO - CHIRVRGICA

ra ossium ischii adeo incurvantur, vt et versio, et sueta enchirosis sit impossibilis. Hac in miseria hoc sequendum est consilium, vt cuique humero forcipis brachium applies, eumque in diametrum obliquam attractum extrahas.

De podice hoc scire licet. Cum, hoc praevio, neglecta pedum solutio, foetus vi dolorum duplicato in peluim demittitur, interdum accidit, praefertim vbi podex permagnus et pelvis paullo angustior est, vt ille inter ossa peluis incuneatus destituat solitum auxilium, id est, immisionem binorum ad hanc similitudinem incuruatorum digitorum ad hypochondria, indeque speratam ex rationem. Idem vnu euuenit, si sub pedum attractione podex amplior margini ossis ilei adeo impingatur, vt ne summa vis sufficiat dimouendo et maximeque vbi etiam vterus spastice constrictus fuerit. *) Podex etiam non nunquam incuneatus et tumefactus peluis introitum adeo relet, vt vix vnum alterumue digitum inter ossa ilei dimittere possis. Tunc etiam funiculus vmbilici deorsum pulsus comprimitur, circuitus sanguinis impeditur, genitalia vehementer et premuntur, et expanduntur, vagina fit modo sicca, praecalida et inflammata, dolores tenitunt aique prorsum quietunt, vterus infirmus est, et, vt multa paucis complectar, adfunt ea phaenomena quae ab capitatis incunatione fieri supra dixeram. **) Praestat in his angustiis praecipitare auxilium, quam cunctari, forcipem

*) Vid. STARK Anmerk. zu Röderers Geburtsh.

**) Vid. STEIBELE l. c.

cipem applicare utriusque podicis lateri, atque sic partum finire. Sunt, qui eius usum dissuadeant, hamum obtusum vel hamum forcipis Levre, tianae superne curnatum praeferant, sed, quantum equidem video, iniuria. Abhorret BAUDELOCQUE sub incuneato podice forcipis usuram, quia thoracis et abdominis viscera inde laedantur, sed vanus eius metus est. Ad haec usque forceps non pertinet, sed tantum ad ossa femoris, ut inter experiendum fatis perspicitur.*). Maius periculum ab hamo est, cum facile fieri possit, ut inde coxa laedatur, luxetur, frangatur. Id quod proprio periculo edocuit scripsit GIFFARD (Cases in Midwifery Lond. 1734 obs. 215.). Forcipis fortunia laudarunt et comprobarunt LEVRET, FRIED, SAXTORPH, STEIN etc. nouam forcipem et extrahendo podici aptam inuenit STEIDELE, eamque, ut mihi quidem videtur, plane superfluam.

CASUS VI.

CAPUT FOETUS A CORPORE ABRUPTUM
INTUS RELINQUITUR.

Huc accedo inermis et destitutus propria experientia, totus pendens ab aliis, sed quae adduxero, non sine dilectu et iudicio proferre lubet. Magister rei obftetriciae peritus hoc infortunitum ac prudens haud facile incurret, si sub versione directionem capiti aptam fecutus fuerit, vel de tempore forcipem applicauerit, vel in summo perforationem adhibuerit. Alter res se habet, ubi de viro imperito vel obftetricie ignara et rudi manu operante sermo est. His quidem haud

C 5

femei

*) Cf. VAN LEEUWEN diff.

42 DISSERT. IN AVG. MEDICO - CHIRVRGICA

semel accidit , vt caput a trunco auulsum intro
relinqueretur, cum inter vertendum *), capite in-
fantis percrasso et pelni perangusta, corpus reli-
quum fortius attractum fuerit, vel deuolutio
a dorso in abdomen omissa, et maxilla inferior
arcui ossium pubis superiori adhaeserit, vel cor-
pusculum, nondum solutis brachiis, non ad dia-
metrum obliquam , sed rectam violenter attrac-
tum , vel extractio, vrgente spasmo ceruicis vte-
ri et vaginae, praecipitato et paullo fortius at-
tracta fuerit, vel corpus summe computruerit.

Sunt artis obstetriciae professores, qui capitis
abrupti et in iro relict i partum naturae soli com-
mittendum esse statuunt. Sunt et alii , qui ca-
put, quam fieri potest ocyssime, extrahendum
ac expediendum suadeant. At vero in medio tu-
tissimus ibis. Prudentis viri est, ex rebus circum-
stantibus aestimare, quid factu opus sit, agere,
an quiescere, personam actoris, an spectatoris
capere debeat. Cl. PLENK has scripsit regulas :

„Befindet sich der Kopf noch in der Gebär-
„mutterhöle: so kann er auch von den stärksten
„Wehen nicht herausgetrieben werden; weil sei-
„ne breite Grundfläche (basis) allezeit größer ist,
„als die obere Oeffnung der Beckenhöhle,
„und weil diese Fläche sich niemals in eine keil-
„förmige Figur spitzen lässt, so wie die Scheitel-
„fläche des Kopfes diese Spitzung annimmt. Be-
„findet sich aber der abgerissene Kopf schon in
„der Beckenköhle: so hat man dessen gänzliche
„Heraustreibung von der Natur beobachtet.
„Denn in diesem Falle ist die Basis schon durch
„die

„die obere Oeffnung des Beckens gezogen worden, und der Grund der Gebärmutter kann den Scheitel nicht mehr breit drücken, auch die muskulöse Haut der Scheide kann zur Hexaustreibung vieles beitragen.

„Mein Rath, pergit Cl. PLENK, ist, in dem ersten Falle sich niemals, in dem zweyter selten, auf die Wehen und die Natur zu verlassen, sondern also gleich Hand anzulegen etc.

Quin ipse RÖDERER, bene penitus perturantis debilitate, inconsultum existimat capitis expulsionem a natura sperare ac exspectare, nisi dolores ad partum aequē efficaces continuent, vel breui restituantur. Si ergo ad artem configendum erit, ea videntur prae ceteris tentanda, quae RÖDERER, PLENK et STEIN, viri expertissimi, litteris consignata reliquerunt. Iuuat ergo digitum impudicum per foramen occipitis magnum intromittere, indicem et annularem lateribus opponere, pollicem vero ori. Licet etiam primum indicem in foramen magnum demittere, deinde pollicem et medium ubique capitinis lateri admouere, reliquos incurvatos in palinam retrahere, post caput cum facie dirigere ac rotare in circuli quadrantem versus latus et deorsum, tandem per vaginam usque ad inferiorem pelvis aperturam attrahere. Tunc demum opus est aliquos alterius manus digitos ori admouere, caput cum facie deorsum torquere, primum cum vertice, deinde cum occipite, antrorsum ad modum semi circuli partui proximum reddere. Sin vero manus solae profecerint, e re est obtusum hamum in orbitam, narium cauum vel quemcunque commodum locum coniicere, ac sic hamo et manu simul abruptum caput protrahere. Hoc in casu,

44 DISSERT. IN AVG. MEDICO-CHIRVRGICA

suafore Ill. STARK, SMELLII hamus duplicatus, cum veluti binas manus referat, aptissimus ad iuuandum est. Saepe autem, si caput abruptum in pelui est, forcipe quam comodissime ac celerime emittitur. Quod si abruptum in uteri cauo est, et foramen occipitis apertum, ante forcipis applicationem forte praestaret caput fixum reddere instrumenti ministerio, quod LEVRET tire tête à bascule nominat. Ultimum est, vbi ne forceps quidem propter vehementissimam capitis incuneationem iuuat. Tunc nihil relinquitur, nisi cranii perforatio, eaque longe difficultima. Tunc demum fas est caput collapsum forcipe foras extrahere, quippe etiam hoc in verum statu fere praestantior hamo est. *)

Marsupia, fundas er fascias ad ingenii commenta referendas existimo, et, vt aperte dicam, quae sentio, ipsum tribuhiatum capitum extractorem, cui a LEVRETO inuentore nomen est, ob ingeniosam mechanismi speciem admiror, ab vsu vanum iudico, ab inuentore nunquam adhbitum esse audio.

Sed haec satis de generalibus applicandae forcipis indicationibus, Liceat iam ad speciales progredi i. e. vbi forceps non, nisi urgente necessitate, applicari debet, celeriorem reliquis tutioriisque effectum spondet.

INDICATIONES FORCIPIS APPLICANDAE
SPECIALES.

Haemorrhagiae magnae, periculosae sanguinis iacturae ab ruptis varicibus, conuulsiones matrem vel

*) Cf. STEIDELE. l. c.

vel foetum affectantes, inflammatio naturalium et interiorum partium, virium prostratio, lipothymia et syncope, ceterique affectus, quae parienti non permittunt, ut dolores ad partum adiuuet, v. c. febres, morbi organici, praesertim pectoris, suppressio virginae, nulla catheteris applicatione reliqua.

Haemorrhagiae largiores, vnde cunque oriantur vel veniant, ore, naribus, pulmonibus, ventriculo, vteri fundo vel placenta orificio affixa *), subito exhauiunt vires, neque spatium faciunt reliquum, ut pro caussis variis varia experiamur remedia. Citandus ergo partus quam maxime videtur, et capiti ad superiorem pelvis aperturam usque delaplo forceps iniiciendus, integris ipsis membranis et ante rumpendis. Idem faciamus licet, vbi conuulsiones matrem vel infantem quauiunt, vel inflammatio vteri imminet. In his casibus forceps longe preferenda versio est **), cum haec sensibilitatem et laxationem naturalium satis magnam et periculum adeo augeat, illa vero partum et citius, et tutius absoluat, ita tamen, ut magis maturandum sit auxilium in haemorrhagiis et inflammationibus, minus in conuulsionibus, cum in his venaefectionem aliaque antispasmodica externa et interna pericitari liceat. Cf. si placet, de his egregium auctorem BAVDELOQUE l. cit. Quae mala si post finitum partum continuant, medici est prouidere, ut fistulant et comprimantur aptis artis praefidiis.

VAGI.

*) v. RÖDERER, STEIN, STEIDELE, PLANK etc.

**) Cf. BAVDELOCQUE l. c.

46 DISSERT. IN AVGVR. MEDICO-CHIRVRGICA

VAGINAE PROLAPSUS, IMMINENS VEL
PRAESENS VTERI RVPTIO, CAPITE IN
PARTV ESSE COEPTO.

Si sub vaginae prolapsu non amplius reposienda partis potestas supereft, capite infantis huc iam prouoluto, et vagina facci in modum propendente, partum forcipis ministerio peragendum censeo, sed prouide ac lente, prolapsam vaginam retinendo, post, vt artis est, reponendo. *Forcipis usum hoc in casu commendavit Ill. LODER.* *)

Vteri rumpendi notae non satis liquent, cum fere eadem, quae in partu diffici, sint, diagnosis tamen perardua, vt malum cauere possis, quo mater rapi tradique morti solet. Cl. STEIDELE **) in his memorat abdomen praetumidum et tensum, vaginam retractam; orificio altius, vt attingi possit, dolores celeriter se excipientes, sed partum non promouentes, auctiorem foetus motum, prae ceteris dolorem terribilium eo abdominis loco, quem pariens semper incusat. Si ergo suspicio ruptionis est, caput vero in superiorem pelvis aperturam detrasum, forcipem sine cunctatione superhabendam esse duca. *Rupti vteri* ***) notae;

vt

*) V. Taschenbuch für Wundärzte, Altenburg. 1789.

**) L. c. §. 57.

***) V. STEIDELE, PLENK I. c. et CRANZ Comment. de rupto in partus doloribus a foetu vtero, Lips. 1755. §. 15. p. 19. et Obs. on an extraordinary Case of ruptured uterus by Andr. Douglas, Lond. 1785. STEIDELE's Sammlung et Nachtrag merkwürdiger Beobachtungen von der in der Geburt zerriss. Gebä-

ut auctores referunt, probabiles sunt subitus ab vehementissimo dolore sonus, tanquam ab crepatura, quem mater sensit, amicae audiuerunt, subita dolorum quies vel cessatio, partium foetus prolapsarum veluti fuga, sanguis profluens eiusque sequelae, pallor oris, sudor extremorum frigidus, syncope, conuulsio, suffocationis sensus etc. In hoc desperato casu si caput praeuium est, et aliqua absoluendi per forcipem partus spes superest, illico eam intromittendam existimosa cum a versione maius sit periculum ob partes in matris abdomen prouolutas et abrupto vtero compreas. Sin vero forcipis nulla est opportunitas, integumenta abdominis sunt incidenda. Id quod et facillime peragitur, nec adeo anceps, ut sectio caesarea, est. *)

Funiculi umbilicalis prolapsus, breuitas et circumvolutio, praeuiio capite.

Prolapsus funiculus pone membranas integras offert veluti tenue ac paruum intestinum. Quibus ruptis, in vaginam delabitur, et si paullo longior est, etiam prolabitur. Infanti summum vitae discriimen imminent, nisi partus, quam fieri potest celerrime, finiatur, funiculo a capite compresso, et sanguinis circuitu fere impedito. Irrita ut plurimum sunt artis conamina, quibus prolapsam funiculi partem intro referre audeamus

bärmutter, Wien 1774. 1775. 8. PLENK Sammlung chirurgischer Beobacht. RICHTERS chirurg. Bibliothek et STARKS Archiv für die Geburthülfe etc.

*) BAVDELOCQVE l. c. T. II. p. 507 — 508;

43 DISSERT. IN AVGVR. MEDICO-CHIRURGIA

mns, scripsit tamen, nuper prime LOEFFLER, *) quan-
dam enchiresin, eamque probabilem. Iubet su-
mi tenuem ac mollem spongiam, parvae manus
magnitudine, incidi ad dimidiam usque rimulam,
in qua funiculus umbilici commode ac fine pres-
fura inesse possit, utramque in uterum a capitis
latere inferri et manum iterum retrahi. Sic spon-
gia funiculum et firmat, et a pressione capitis
securum reddit, dum ulterius per vaginam pro-
greditur. **) Sin vero partus non maturatur, pree-
vio capiti forcipem iniicere artis est.

Breuitatem et circum volutionem funiculi posse
caput sub pelvis transitu praepedire ac partum
remorari, BAVDELOCQVE, ZELLER et HINZE du-
bium reddere studuerunt LEVRET, STEIN, SAX-
TORPH, PLENK, STEIDELE, ROEDERER, STARK
etc ***) affirmarunt. Ego vero, donec eram Haf-
niae, hoc ita esse bis cognoui. Nec hoc repug-
nat partium fabricae et constitutioni, et mechanicae
legibus. Hunc statum adesse opinamur, si
caput infantis sub quocumque dolore ad latus detor-
quetur, et cessante dolore, iterum ad superiora
retralitur, si partus tarde procedit, etiam si dolores
videantur esse vehementissimi, si dum caput pro-
truditur, destillat ex genitalibus haud exigua sanguinis
copia. Si dolores quiescunt, retroit fundus
uteri, et caput una cum conuoluto et abbreviato
sum

*) V. STARK Archiv. B. 4 Stück 3.

**) Huius enchiresis utilitatem et praestantiam Cl.
STOELLER et cognonit, et cum obstetricibus com-
municauit.

***) Cf. JOSEPH in Taschenbuch für Wundärzte 1789.

sursum attrahit. Sic soluitur aliqua placentae pars, oritur haemorrhagia. In vtroque casu fieri quidem potest, vt partus naturae beneficio absoluatur, hoc vero et paullo tardius fit, ec cum magno matris ac foetus discrimine. Nam si funiculus perbreuis fuerit, et maturius, ac fas est, soluatur placentā, aut in ipso vtero rumpatur, inde metuenda vtique letalis haemorrhagia est, quae, quod maxime dolendum est, vt plurimum post partum demum detegitur, capite os vteri sic claudente, vt ne sanguis possit profluere. Hanc internam haemorrhagiam adesse colligimus, si pariens etiam atque etiam in lipothymiam incidit, frons et extremitates perfrigerantur, abdomens enim pedetentimque tumescit *). Sin vero funiculus collum circumligatum tenet, hoc praeter haemorrhagiam etiam verendum est, vt foetus per impeditum sanguinis regressum strangulatus et apoplecticus pereat.

Hoc in periculo partus quoquis modo citandus, et, capite praeuio, forceps applicanda esse videtur, ita tamen, vt extractio fiat tarde, caute, prouide ac per intercapedines, ne forte solutionem placentae vel ruptionem funiculi ipsi properemus. Cui auertendo malo Cl. MVR SINNA hoc consilium dedit, vt illico incidamus funiculum, si caput usque ad collum promineat, deinde reliquum corpus extrahamus. Hoc mihi certe videtur magis probari posse, ac id, quod alii suaserunt, nempe funiculum vel in ipso vtero debere discindi ac ligari. **)

Par-

*) Vid. PLENK. l. c.

**) Cf. PLENK l. c. p. 332. ADOLPH Diss. de funiculo intra vterum dissecando Helmst. 1767. JOERDENS Diss. de fasciis obstetricib. Erlang. 1798.

D

De DISSERT. IN AVGVR. MEDICO - CHIRVRGICA

Partus gemellorum praevio foetus capite.

Partum utriusque saepe foli naturae relinquendum esse puto. At vero, inquit, BAVDELOCQE etiam si unus gemellorum bono in situ sit, eiusque magnitudo pro ratione pelvis iusta, tamen haud raro nulla alia via, nisi per artem nasci potest, et si caput praeuium est, addit Cl. MECKEL, forcipe. Hoc vero, ut ipse videtur, exinde sit, quod uterus foetum a quouis lateres non satis possit propellere, sed vires utriusque impendantur. Etiam incidere potest, ut alter gemellorum capite, alter pede, vel manu promineat, vel funiculus alterius prolabatur, alterius caput in fundo pelvis se ad pariendum offerat. In hisce casibus BAVDELOCQE quidem auctor est, ut alter forcipe extrahatur, ea tamen cautione, ut caput vel quaevis alia prolapsa pars a forcipe comprimatur.

Hac fere sunt primariae indicationes forcipis applicandae speciales. Si qua forte defuerit, quisque artis peritus facile sibi prospicere poterit, modo meminerit regulae, singula partus genera, in quibus et mater, et foetus vita periclitatur, esse maturanda, et si caput fuerit praeuium, ad forcipem configiendum. Reliquum est, ut pauca de forcipis contraindicationibus subiiciam.

Est vero haec prima lex, ut forceps, absque necessitate, haut commutetur cum versione, et in casibus, in quibus perinde est, qua via utaris, aut in quibus utramque viam sequi possis, prior anteponatur, cum in versione et maior difficultas, et maius discrimen insit, „Multo plus, inquit Cl. GEHLER, molestiarum ac cruciatuum parturienti effici a suscepto versionis negotio sollet, quam a forcipis usu, quo in recta viarum ratione

„ratione ac mensura, modo fatis pateat vteri orificio, longe citius et, ut opinor minus dolorisice partus negotium absolui potest.“ Cf. STEIN, praktische Geburtshülfe §. 185. De quo recte ac fatis bene iudicat BAVDELOCQVE, et Ill. STARK *) sere hanc sequitur sententiam. Dantur tamen casus, in quibus non licet hoc instrumentum adhibere,

Forceps igitur contraiudicatur

1. In vera capitinis incuneatione tertii gradus.
2. Si auris altera cum capitinis parte laterali vel facies omnis oblique primum ingreditur per luim.

Tunc vero potior versio est, cum forceps applicata facile labi, vaginam, os vteri et ipsum foetus caput laedere possit.

3. Si qua remora in partibus mollibus est, unde forcipis applicatio vel attractio foetus fit impossibilis.

Tales sunt tumores scirrhosi, gangraenosi, farcomata vaginam vel os vteri occupantia, partium concretio vel praeternaturalis structura etc. **)

D 2

4. Si

*) V. Archiv B. I. Stück II. p. 138. DETHARDING Diff. e.

**) V. SAXTORPH Diff. e.

4. Si caput foetus nondum in aperturam pelvis superiorum introit.

Hanc vero locum habere posse negat BAUDELOCQUE, et post SMELLIE et alios auctores suadet adhibendam forcipem, si caput adhuc mobile est, et adhuc dum supra aperturam pelvis superiorum haeret, in eo quidem casu, vbi propter praeter naturalem superioris aperturae augmentam capitis incuneatio metuenda sit. *) Ego vero hoc vereor, ne applicatio forcipis sit paullum operifior, ne ea facile delabatur, cum caput adhuc sit mobile, ne laedatur caput foetus, os vteri et vagina matris cum dolorum augmento. Accedit et hoc, quod orificium vteri nondum satis apertum est, at ipse BAVDELOCQUE alio loco scribit, forcipem non prius esse applicandam, quam os vteri fuerit molle, satis apertum et ulteriori dilationi aptum, et ipsa externa genitalia cautionem suadere. Immo vero, cum membranas rumpi oporteat, uterus fortius apponitur capiti, et forcipis immisionem longe difficiliorum reddit.

Nonne hoc in casu praestaret applicationem forcipis eatenus differre, donec caput ad quarum partem certe in superiore pelvis aperturam descenderit, neque omnino fuerit mobile, vel donec, sua ore STEINIO, in coronatione est.

Sunt, qui caput in cauitate pelvis vel ipsa inferiori pelvis apertura haerens intro repelli, et versionem fieri iubent, sed hi ipsi satis superque produnt se esse adhuc elementarios. Stupeo hoc consilium, inquit ILL. STEIN, imitationem deprecor.

Liceat

*) V. Anleit. zur Entbindungs-k. T. II.

Liceat paucissimis de *vecte* differere, cum a multis artis obstetriciae peritis adhibeatur. Acer-
rimus eius defensor et commendator est HERBI-
NIAVX, *) deinde RECHENBERGER **) et CAM-
PER ***) posthaec ILL. STARCK emendationem
vectis descripsit, tandem AITKEN, fertilissimus
instrumentorum nouorum inuentor, vectim sic
dictum viuum. In genere vectis adhiberi solet,
si caput foetus in apertura pelvis inferiori qui-
dem bene situm, at propter vitiosam pelvium
ita incuneatum est, ut solis naturae viribus pro-
pelli nequeat, vel si caput inferiori pelvis apertu-
ra ossi ilei alterutri oblique ac fortiter insidet sus-
pensumue est, breuiter, in obliquo capitis situ.
At si credimus PERILL. SAXTORPH ****) et VAN
LEEVWEN *****) aptior ille est ad caluam compri-
mendam, quam ad caput extrahendum. In ve-
ra incuneatione, cui hunc ROONHUYSEN eius-
que adseclae apponendum putarunt, omnino
inutilis est habendus, neque tuto applicandus,
auctore VAN LEEVWEN, in situ laterali, vbi au-
res ad os pubis et sacrum aduertuntur, quia ca-
put retro pressum in dimensione maiori ad ma-
iorem versus os occygis appellitur, facileque in-

D 3 cunea-

*) Traité sur divers accouchemens laborieux at sur
les polypes de la matrice, Bruxelles.

**) Diff. de vecte emendato, eiusque usu et utilitate
in arte obstetr. Vienn. 1779. Germanice ihid. 1779.

***) Betrachtungen über einige Gegenstände der Ge-
burtsh. Leipzig. 1777.

****) Diff. cit.

*****) Diff.

54 DISSERT. IN AVGVR. MEDICO-CHIRVRGICA

cuneatur, nisi peluis praeampla fuerit. Quia
ipsi ROONHVS ENI amici hoc n^o situ vectem ni-
hil valere profitentur. Cum ergo in sola obli-
quitate capitis locum habeat, etiam idem illud
a forcipe et melius, et securius exspectare licet,
pressura vectis semper in aequalis est, pauca caluae
puncta contingendo, et magna vi opus est, si
caput adhuc superne haereat. Accedit et hoc,
quod sic praeterera capitis ossa valde affici, de-
primi, frangi, genitalia matris laedi possint, te-
ste ac magistra experientia CAMPERI, HOFFMAN-
NI *) et SAXTORPHII. **)

Vectem vero ponи posse in instrumentis *su-*
peruacuis, honoris caussa testem idoneum nomi-
nō, PERILL. SAXTORPH, qui in praxi obstetricia
multorum annorum, frequentissima, felicissima-
que nunquam ad eius usum confugere debuit,
fretus axiomate sere aureo, *praestare instrumenta*
imminuere, quam noua identidem inuenire. Ille
enim non habet alium instrumentorum appa-
ratum, nisi *forcipem*, *perforatorium*, *hamum* et
tigulam pro versione facienda.

ADDITIONVM.

Serius, ac optarim, animaduertere datum est,
divisionem *iudicationum in generales et speciales*
passim non satis aptam videri. Sic e. gr. male
retuleram ad *generales* eum casum, in quo caput
a corpore abruptum intro relictum est. Sed in
spe-

*) Diff. in ang. de forcipe SMELLIX in praxi obstetr. anteponenda vecti Roonhuisiano Groning. 1766.
p. 34. 35.

**) Diff. cit. p. 188, 189.

specialibus etiam non bene collocatur. Ad hanc collisionem effugiendam mallem *triplicem distributionem* sequi, quoad forcipis applicationem.

1. Si forceps sola locum habeat, exclusis aliis, Huc pertinent *peruersi capitis sinus*, *prior*, ex parte etiam alter incuneationis gradus, et *ex iudicio PERILL SAXTORPH obliquitas vteri*.

2. Si forcipis usus tutior, celerior, mitior et applicatu facilior reliquis est, certe aequo passu ambulat. Quo referas *caput post versionem adhaerefcendo immobile*, vel *a corpore abruptum et retentum*, vel *cerebro deſtitutum*, vel *praetumidum*, quale capitonum, praeterea *incuneatum* *podicem ac inclauatas scapulas*.

3. Si forceps, urgente necessitate, ne pereat mater vel foetus, valet ad citandum partum plurimum. In his continentur tantum non omnes, quas speciales superius dixeram. Sed haec *de forcipis usu* sufficiant.

Errata.


Pag. 8. lin. 4. leg. seu recta, et Pag. 10. lin. 15. l. anteſt
Pag. 15. l. 25. l. reparcendos.

NOBI

NOBILISSIMO EXPERIENTISSIMO
C A N D I D A T O
S. P.
P R A E S E S.

Perantiqui in academiis moris est, ut dissertationem inauguralem, quam scriperat candidatus, offerat vni e collegio, ad perficiendum, ne quid crudum, immaturum vel impolitum in vulgus edatur. Quo quidem peregregio instituto honori et facultatis, et candidati prouidere visum est. Deinde voluerunt, ut quisque cathedralm ascenderet, comite praefide, partim quod sic actus ipse paullo splendidior est et ad frequentiam auditorum comparandam aptior, partim quod futurus doctor, cum poseret tyrocinium, tali sub comitatu et patrocinio potest sine timore ac pudore prodire in publicum. Et hoc etiamnum laudabile ac imitatione dignum esse videtur, cum equidem malum in bono esse confortio, quam solus titubare vel histrionum more me aliorum risu exponere, cum illis et materia, et lingua defit, impudentia et imprudentia minime. Agant hi, si possint magni medici e commentariis, diserti e pennis peregrinis, praestantes ab histrionia esse, res suas feliciter, mereantque laudes eorum, qui sibi similes, forte etiam auctores tam peruerbi consiliis esse solent. Tu vero, macte viritate TUA, fruere probitate easque doctrina, quam hic et alibi TIBI comparasti. Accipe, quam mihi tradidisti disputationem, intemeratam, ut peculium. Quod iungit est, totum Tuum est. Nihil mihi vendico, nisi honorem praefidis, quo me praeceptoris dignum censuisti. Tu vero (puto) bene nosci, nec candidatum legali socio inferiorem ac deteriorem, nec libellum a Te scriptum fide suspectum fore. Suum cuique equidem bene do, tribuo, largior. Abi ergo bono cum omni et bonis cum auspiciis, ad patrios lares, meique memoriam, ut multi solent, si TIBI bene est, noli deponere. Scripsi e museo XXI Januar.

CIOCCOLXXXIII



TIFFEN® Color Control Patches

© The Tiffen Company, 2007

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

